

AB

125832

00 b
00 8
1472.
00 der



J. G.

CHRISTIANI ADOLPHI
KLOTZII
C A R M I N V M
L I B E R V N V S.



L I P S I A E,
APVD IOAN. CHRIST. LANGENHEMIVM,
c I O C C L V I I I .

CHRISTIANI ADOLPHI
KELTONI

C A R M I N U M

СУВИДЫ



EPISTOLA
A D
VIRVM MAGNIFICVM
CAROLVM ANDREAM
BELIVM
POESEOS PROF. PVBL. ORDINAR. NAT. BAVAR.
SENIOR. ACADEMIAE BIBLIOTHECAR. MIN.
PRINC. COLLEGIO COLLEGIAT.

EPIS TOLY
A
GAROLVM ANDREVM
BELIVM
HOC ESSERIT HOMINIS LAPSUS QD MVR NLT SAVAR
SCHINUS ALBOPURPUREA BIRMANIA
TINICQ. QUILLOPSIS COTTERIOIA

Quaerenti mibi, multumque et diu cogitanti, quanam re **TIBI**, **VIR MAGNIFICE, PATRONE OPTIME**, qui doctrina magistri, curando propinqui, monendo patris, suadendo amici partes sic semper egisti, ut nemo prope esset, cuius officiis me tam esse deuinctum non solum confiterer, sed gauderem etiam, pietatem meam et obseruantiam testificari possem, nulli aptius interpretatio huius pietatis mandari potuit, quam musae meae. Nam et **TV** quasi patrocinium poeseos suscepisti, et ipse carmina componis, ad veterum elegantiam quae quam proxime accedunt, atque etiam nuper versiculos meos tantopere laudasti, ut **TE** magis **TVO** in me amori et benevolentiae indulsisse, quam ad seuen-

MUNDT

A 3

ritatem

ritatem censoriam omnia exegisse, facile appa-
veret. Illa vero vehementer primum erube-
scere, rem deinde differre quotidie ac progra-
stinare, obsequium negare, atque, cum acrius
vrgerent, ita dicere: Hem! tu me ad BE-
LIVM allegabis, tam intelligens qui iudi-
cium, tam teretes aures qui habet, vt, nisi
ab illius acumine ingenique elegantia tibi ti-
meas, te ipsum ignorare videaris. hoc proba-
bit. hoc indignum doctis illius auribus. quid
si hoc muto? at vereor ne illas magis offendam.
quid si multa ieiunc, multa tenuiter,
quaedam barbare dicta sunt? quid si pauca
veterum lectionem redolent? Cae, ne, dum
pietatis dare testimonium cupis, infantiam
tuam prodas. Tum vero ego multa de
comitate et humanitate **TVA**, quae, vt

TVVM

TVVM ingenjum atque eruditionis copia, cul-
tum et obseruantiam, sic amorem **TIBI**
omnium conciliat, dicendo, persuasi tandem illi,
ut ad **TE** aditum pararet. Cui illud po-
tissimum negotii dedi, ut **TIBI** primum
commemoraret, me quidem ipsum tenuitatem
horum carminum perspicere, sed non tam
munusculum hoc, quam animum, a quo
illud proficiscatur, considerandum esse; dein-
de **TIBI** de mea in **TE** voluntate, de
meo **TIBI** deditissimo animo, et de stu-
dio **TIBI** gratam meam mentem testifi-
candi, exponeret, neque non prius **TVAE**
benevolentiae memoriam, quam cum vita esse
depositurum, polliceretur; denique ut a **TE**
quam posset maxime contendere, ut animum
TVVM pristimum seruares, neque in

TVORVM numero habere pergeres. Quae
posteaquam diēta essent, mandaui, ut hunc
libellum, tamquam aeternum animi cultus-
que in **T E** mei pignus, et quasi tabulas con-
fessorias, non liberatorias, omni, qua par est,
cum obseruantia, **T I B I** traderet. Quem
T V sic accipies, ut soles, id est animo aequo
et litterarum amantissimo.

MAGNIFICI NOMINIS TVI

Scripsi Lipsiae

A. C. CLXXXVIII.

CVLTOR PERPETVVS
CHRISTIANVS ADOLPHVS KLOTZIVS.



L.
AD

FRIDERICVM AVGVSTVM
POLONIARVM REGEM ET ELECTOREM
SAXONIAE
PATREM PATRIAE.

Qui nuper populi deliciae *Tui*,
Nunc desiderium curaque maxima,
O nostrum decus! o noster amor! redi,
In tristem patriam, redi!

Quae non vota facit! quam lacrumat! quibus
Ah! desideriis illius illius
AVGVSTI cupidum Saxonis aestuat
Pecus! quo pietas, fides,



Terraē fertilitas almaque copia,
 Quo praeſente bonum floruit otium,
 Conſtantis iuſtitiae Pieridumque amor,
 Et blandum ſtudium artium.

Non ſiccis oculis, notus enim *Tuus*

In ciues animus regius, vrbium
 Speſtabis cinerem, diruta moenia,

Nudasque hospitibus domos.

Speſtabis fluuios ſanguine turgidos,

Regni rura *Tui* caede tepentia,

Et matrum lacrumas, et gemitum *Tuae*

Ah! Dresdae lacrumas *Tuae*.

Illo, crede, die incendia, funera,

Terror, pauperies, omne genus mali,

Quod nunc perferimus, mentibus excidet,

Quo ciues repetes *Tuos*.

Tunc lauro impediā tempora, nobili

Tunc plausus hilares carmine, tunc piam


Noſtræ laetitiam Saxoniae ſuper

AVGVSTI reditu canam.





II



II.

AD ILLVSTRISSIMVM COMITEM
S O L M I V M,

DYNASTAM RVCKERSWALDENSEM, AVGV-
STISSIMI POLONIARVM REGIS ET ELECTORIS
SAXONIAE CONSILARIIVM INTIMVM ET ORDI-
NIS A QVILAE ALBAE EQVITEM.

Tu mihi, quem procul a patria pro valle re-
ducta,

* Pro gelido luce, dulci pro murmure riui,
Pro blandis musae numeris, tentoria, valla,
Igniuomae glandes, telorum ferreus imber,
Sanguine spumantes enses, hinnitus equorum,
Armorumque iuuat strepitus, sonitusque tubarum,
Ah Te ne violent enses, ah nullius arma
Sanguine forte Tuo rubeant, SOLMI, en erit vn-
quam

Ille dies, mihi cum liceat Te cernere coram?
En erit, vt redeant musis solatia, *Tecum*

Rapta?



Rapta? vocant vitrei *Te* fontes, florea rura,
Te ver purpureum, riguique in vallibus amnes,
Te nemus umbrosum vocat, inuitantque camoenae.

Ipse egomet dudum, vos rura virentia testes,
Vos, quae me flores vidistis carpere, Nymphae,
Dudum narcissos et suave rubentem hyacinthum,
Fragrantesque rosas, violas, et lilia legi.
En vnquam, solmi, post tanta pericula, curas,
Frigora, sollicitas noctes, post mille labores,
*His dabitur nobis *Tua* cingere tempora fertis?*

*Non quia *Tu*, solmi, genus alto a sanguine
 ducis,*
**Te* veneror, nec quod titulis numeroque clientum
 Diuitiisque potens oculos in *Te* attrahis omnes.*
Ecce! tuae turgent generoso sanguine venae,
Nobilis est animus, supra mortalia longe
Erectus, titulis et claro stemmate maior,
Maior imaginibus virtus, clementia mira,
*Doctrinae studium. Hoc dignum *Te* reddit amore,*
Hoc memores laudes vatum cultumque meretur.

O qua-



O quoties, musae, dixi: concedite nobis,
Qualia vester amor, venusini pectinis haeres,
Carmina componit, musae concedite nobis!
Ipse *Tibi* Flaccus, sic ore effatus amico:
Ecce lyram, *solum*, *te* nunc habet illa secundum,
Hoc nostri monumentum, hoc nostri pignus amoris!
Tradidit a multis speratam vatibus ante
Optatamque lyram, docuit *te* impellere neruos,
Et, quibus in nubes *te* tollis, hic addidit alas.
Attonitus celeres pennas, longeque relictos
Montes, et proprius coelum propioraque cerno
Sidera, iamque oculis nostris, o cygne sonore,
Nubes eripiunt *te*, sublimesque volatus.

Nos inter salices, arbusta, humilesque myricas,
Muscosos circa fontes, ripasque virentes,
Erramus, longasque canendo fallimus horas.
Si ventura tamen nos confirmauerit aetas,
Maius et addiderit robur, viresque poetae,
Tunc grauiore *Tuas* dicemus carmine laudes.



TALDON SEBASTIANUS
ILLUMINANDO EDITOR

MORS CICERONIS

AD

VIRVM MAGNIFICVM

IOH. AVG. ERNESTVM

S. S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE ET

ELOQV. P. P. O.



Vltima fata viri dicam, qui dira fugavit
Agmina Parthorum, Catilinam incendia cæ-
dem

Vrbì, perniciem, et seruilia vincla parantem,
Moenibus elecit, quem primum exempta catenis
Roma patrem patriae magno clamore salutat,
Mittit in exilium, magnoque reducit honore.
Qui dulci eloquio felix, qui fulmine linguae
Eripuit miseros letho, populumque frementem
Leniit, infensus sceleri infensusque tyrannis
Qui libertatem defendit ad vltima vitae.

Hic



Hic etiam rerum studuit cognoscere causas,

Quidue bonum, rectum, quid turpe, docens, quid
honestum.

Hic etiam ad studium iuuenes vsumque forensem

Duxit, hic et cecinit sublimi carmina vena.

Heu! nimium Cicero, nimium crudele dedisti
Supplicium, tibi nec studium virtutis amore
Proſuit, aut varias animum excoluisse per artes,
Nec libertatem tibi defendisse Quiritum.

Quid non, o ſolum caput horum et cauſa malorum,
Improba regnorum, ſceptri ſoliisque libido
Efficiſ? o quantum mortalia corda volutas?

Accendis rabidas iras, odia aspera misces,
Foedera refcindis, cogisque in praelia gentes.

At tua per totum, Cicero, cantabitur orbem
Gloria, tu memori ſemper celebraſere fama.

Ecce! tibi quantos aetas perſoluat honores

Nostra, tibi ut priscum decus, ingenioque vetustum

Splendorem, magno ſtudio magnoque labore,

Tandem reddiderit diuino ERNESTIVS ore.

O muſae, muſae, date lilia, ſpargite flores,

Ferte



Ferte rosas, musae, vestroque assurgite alumno!

Illi submittit fasces, qua cultior, *Illi*

Imperium desert laeto Germania vultu.

Semper quem colui, quem toto pectore amau,

Praestans ERNESTI, dudum *Tibi* debo carmen,

Doctrinaeque *Tuae* iam dudum debo laudes.

Nunc ades, (vberius carmen, modo vita superstis,

Promeritas alio tribuet *Tibi* tempore laudes:)

Nunc ades, ERNESTI, iuueniles accipe versus,

Accipe *Tu* cultus et nostri pignus amoris.

Caesaris occisi cerebro calidoque cruento

Curia adhuc Romana rubens, vtricia poscit

Arma, virosque monet, qui tot sibi vulnera saeuia

Intulerint dextra, aut caedem qui mente pararint,

Consiliumque aliis dederint, hos sanguine poenas

Soluere, et hos toto perquiri praecipit orbe.

Iam Brutus periit, reliqui cepere, relicta

Vrbe, fugam, solus sua forti pectore fata

Exspectans Cicero patria remanebat in vrbe.

Saepius Antonius gladios caedemque parabat;

Saepius Augustum mortem Ciceronis acerbam

Posce-



Poseebat Lepidus, negat ille diuque resistit.
Non aliter, pontum terra qui diuidit, Isthmus,
Exiguo spatio duo distrahit aequora, frustra
Coniungi cupiunt, frustra cum murmure vasto
Circum vndae tumidae spumantia littora latrant.
Ille maris rabiem perfert, ventique furorem.
At nondum Veneri miserandum pe^tore lethum
Caesaris exciderat, dolet aeternumque dolebit.
Vix videt incolumē Ciceronem in moenibus vrbis
Viuere, vix placidum videt Augustumque quietum,
Cum pulchrum quassans caput, ambrosiosque capillos
Haec secum: potuisse meum, potuisse perire
Caesarem, et hosce viros impune quiete potiri?
Quo mihi cessit amor tandem, quo curaque nati?
Non illi dabitur vitam (est) reddere ademtam,
At punire licet, dignasque reponcere poenas,
At licet vlcisci facinus Ciceronis. Atrocis
Conscius hic sceleris, dirique hic criminis audor.
Non ea vis nobis? Venerique potentia tanta?
Morte luat merita culpam, det sanguine poenas.
Haec dea: flagranti referens e pe^tore voces,
Horrida faxa petit, longisque recessibus antrum,



Est specus horrendum faxis longoque recessu,
 Quam sedem Ambitio sibi toto legit in orbe.
 Hic dea multa malo secum sub pectore versat,
 Et parat insidias regnis fraudesque malignas.
 Multus in ore rubor, suffusus sanguine multo
 Igne micant oculi, fluit albida spuma per ora.
 Triste per angustam rimam, qua faxeae moles
 Olim dissipavit vasta conuulsa ruina,
 Immisum lumen miscet caligine lucem.
 Terra madet fanie, multaque rubentia caede
 Saxa madent, turpi maculata cadauera tabo,
 Abscislaeque manus, truncataque corpora multa,
 Ossaque multa iacent totum dispersa per antrum.
 Hic etiam flamas, hastas, saeuasque catenas,
 Hic laqueos videas et pocula plena veneno,
 Hic gemmas, aurum, regum diademata, sceptra.
 Hic timor, insidiae, laudum male fana cupido,
 Adsum, insomnes noctes, fraudesque dolique.

Huic dea comminorat, quae sint, huic narrat, agenda,
 Addat se sociam, det opem, iungatque potentes
 Vires, Augusto sanos euertere sensus

Tentet,



Tentet, et aeternis odiis accendat et ira
Pectus. Confestim parer, furialia membra
Exuit, et vultus et Caesaris induit artus.
Pectora tum nudat, transfossaque pectora ferro
Pallidaque ostendens et multo sparsa cruento
Ora, capit media placidam qui nocte quietem,
Augustum alloquitur, sic ore effata trementis:

Sic vacuus curis Caesar, sic mente quieta
Tu dormire potes? nec aperta pericula vitae
Cernis et infidias? non arma latentia? multis
Vulneribus caesi patris miseretque pudetque?
Ecce tibi lacerum corpus crudeliter, ora,
Ora, manus, pectus, percussaque tempora! Cessas,
Caesar? et vtrices tu cessas sumere poenas?
Inferias cineri Ciceronem mitte paterno,
Hic saeuos acuit gladios, nec perfida Brutus
Dextra magis vitam mihi, quam Ciceronis, ademit
Perfidus hic viuet? Cicero, pro Iuppiter! ergo
Riserit exitium nostrumque impune cruentum?
Non gladium stringes? non foedo in pectore con
des?



Quid dubitas? tutum regnum non ante tenebis,
 Nec prius extendes totum tua iura per orbem,
 Quam saeui madeat Ciceronis sanguine terra.
 Hunc igitur iugula, tibi dum iugulare potestas.

Haec vbi dicta dedit, dea fuscas commouet
 alas,

Et repetit rupes, antrum tenebrasque profundas.
 Excutit Augusto somnum formido tremorque,
 Ignescunt irae, meritas sibi soluere poenas,
 Romanisque iubet Ciceronem excedere muris.

Vix haec compererat Cicero, desperat, acerbis
 Antonii rabies, tum Caesar, Brutus in ipsis
 Omnia sunt oculis, tum secum talia fatur:
 En quid agam? supplex ego tandem deprecer ho-
 stes?

Ille ego qui toties generoso pectore dona
 Quique minas risi et propria pericula mortis,
 Hos adeam? partesne sequi me velle nefandas
 Pollicear? prius o caeli me fulmina perdant,

Ossaque

Ossa que nostra terant! Sed, me fac velle, salutem
 Accipiam? poterone malae me credere tuto
 Antonii fidei? sic fraudem nescis et iram?
 Nescis perfidiam? Fugiam, manibusque scelestis
 Me letho eripiam? Fugientem pro pudor! hostes
 Indocoremque sui Ciceronem Roma videbit?
 Quin moriar, fugiamque hostem lucemque perosam,
 Sanguineum cernat gladium terramque rubentem
 Antonius, cernat transfossum pectus, et inde
 Augurium capiat. Vixi, ciuilia iura
 Intrepidoque animo defendi moenia Romae,
 Fata obstant, subiitque iugum lacrumabile Roma.
 Quid cesio? hic animus seruilia vincula rumper,
 Et ferrum hoc nobis — vaginaque eripit ensim.
 Adecurrit subito Quintus, (sic fata volebant,
 Sic Venus, vt vindex Ciceronem dextra necaret,)
 Semianimisque super fratrem se proiicit, ensim
 Extorquens manibus. Ceu, si lacrumabile sponsi
 Corpus forte videt proiectum in littore virgo,
 Numquam quae faciem dimouerat aequore, multa
 Vota diis faciens, et frustra suavia ferta
 Floribus e vernis connexerat, illa stupescit,



Nec queritur, nec verba facit, sed, corpore in uno
Desigens oculos, suffundit fletibus ora:
Sic etiam Quintus stupet et vix ora resoluit.
Ferro etiam vitam, Romae quae sola voluptas,
Qua sine nil gratum Quinto, nec amabile quicquam,
Et qua nostra salus, patriae spes nititur omnis,
Hanc ferro, frater, voluisti abrumpere vitam?
Visque adeone mori gratum? quo cura tuorum
Quo tibi cura mei cessit? tu stringere ferrum?
Nec venit in mentem, quid Roma miserrima po-
scat?

Heu! mihi quid misero supereft? te nulla peremptio
Libertatis erit patriae spes, nulla salutis.

Has ego per lacrumas, per diuos, te per amorem
Quem patriae debes, oro, miserere tuorum.

O Romae miserere tuae! periisse iuuabit?

Non tua mors hostes Romanos vincet, acerbum

Vita iugum nostris de collis auferet, ille

Spiritus, ille tuus, tollet vincetque tyrannos.

Moenibus excedas inimicis, fata reducent

Te meliora, dii si Romae moenia curant,


Otia tunc tecum, pax, libertasque redibunt.

Aut



Aut si crudelis stat adhuc sententia mente,
Non ego destitua te. Qui tua pectora rumpet,
Idem vna rubeat gladius quoque sanguine nostro,
Atque eadem vitam Ciceronibus auferat hora.

Sic animum Quintus Ciceronis leniit, ille
Poscit equos, murisque parat discedere Romae.
Stare loco nescit, tollit se, longaque crura
Iactat equus. Ter equum stimulis auriga cruentis
Vrget, ter resilit, ter calce euerberat auras.
Omine percussi ferui meliora precantur
Leesticamque ferunt. Tum in fletum erumpere fratres
Incipiunt, miscent amplexus, oscula miscent.
O vtinam mea nexa tuo dum brachia collo
Exhalare animum liceat, ne nuntius aures
Vulneret heu! grauior, liceat decedere vita
Ut fugientem animum, di tristem auertite casum!
Ore legam digitisque meis tua lumina condam.
Alter in alterius frater complexibus haeret,
Oscula iungentes extremum et multa gementes.
Tandem progreditur Cicero aegre et moenibus exit.



Egreditur vestra nunc Tullius vrbe, Quirites,
 Egrediturque simul libertas vestra. Tueri
 Iura quis et leges, patriae fulcire ruinam
 Quis poterit? turpes quis - debellare tyrannos?
 O retine, retine, ne tales excedere muris
 Roma tuis patiare virum. Te vincula dura
 Perpetuumque iugum manet, illum lethifer ensis.

Vt, quando teneros pullos nidosque loquaces
 Agricola inuadit, philomela arbusta relinquit,
 Finitimaeque sedens in ramis arboris, inde
 Aspicit, et querulo deplorat carmine raptum:
 Sic Cicero fugiens oculos faciemque retorquet
 Saepius ad muros, et moesto pectore fatur:
 Sat patriae Romaeque datum, salue mea Roma,
 Aeternumque vale mihi. Vicitus amore meorum
 Vicitus amore tui fugio, sed corpore tantum
 Absum, non animo. Manet, aeternumque manebit
 Hic tecum, veteremque tui seruabit amorem.
 O vtinam aut nunquam redeam in tua moenia, iustae
 Aut libertatis redeam defensor, honoris
 Assistor veteris, saeuiaeque tyrannidis vltor.

Aut



Aut si, namque malum mihi mens praesagit, ini-
qua

Me vis eripiat, nec in ipso limine mortis

Iamque exspirantem, scito, iam extrema gemen-
tem,

Dimisisse tui Ciceronem pectore amorem.

Haec dicens abiit villam, in qua saepius egit
Otia, Musarum se delectauit amore,
Pectore depositus curas, animumque refecit.
At Romae Antonius, nec enim decesserat ira,
Poscit, ut Augustus Ciceronem tollat, hic exul
Infidias melius nobis struet, vrbe remotus
Efficiet facile, quae diro in pectore versat.
Tolle virum, tutus regnum Romamque tenebis.
Appnuit hic didicis Augustus, et oxyus omne,
Omne genus mandat Ciceronum sternere ferro
Popilio. Hic magna pergens flipante caterua:
Hoc erat, hoc votis optauit saepius, inquit,
Me duce vos socii Ciceronis figite corpus,
Caesaris haec cineri maclatur victima grata.



Mox , Cicero in villa dubia dum mente moratur,
 Aduolat, en! cursu veloci seruus, anhelat,
 Imploransque ruit Ciceronem nomine. Frater,
 Heu ! frater periit, natus cum patre peremptus;
 His oculis vidi caedem, vidique cruentem.
 Heu ! fugite hinc, celeri vitate pericula cursu.
 Accipit haec Cicero , vultuque immotus eodem,
 Quin mihi , care puer, dixit res ordine narra.
 Tum, vix exieras Romae tu moenibus , inquit,
 Impia turba tuas effusa ruebat ad aedes.
 Haec trucibus verbis Ciceronem , haec ense mi-
 nanti

Poscit, seque tuo restinguere sanguine clamat
 Velle sitim. Natus Quintum occultauerat, illum,
 Postquam te frustra quæsuerat, ore tonante
 Flagitat: at natus, se patrem scire, negauit.
 Saeuit atrox miles, tuus, inquit, perfide, sanguis
 Sit sat in amborum poenas, simul ense corusco
 Ibat in intrepidum iuuenem. Tunc proflit amens,
 Et meme, pater exclamat, me caedite, nato
 Parcite, nil dignum commisit morte, sit ille
 Patri, si quis adhuc precibus locus , oro , superstes:

At



At natus manibus complectens colla paterna,
Tene, inquit, pro me gladio succedere cernam?
Haec patiar? vitae teneat me tanta voluptas,
Ut tua seruari cupiam per vulnera? solum
Aut vos me gladiis transfigite, parcite patri;
Aut simul amborum transfigite corpora ferro:
Non ego diuellar patriis complexibus vniquam.
Tum paullum his verbis ex ira corda residunt,
Et simul amborum demittunt corpora morti.
En! pater atque pius procumbit filius vna,
Alter et alterius moriens se in sanguine versat.
Ingemit, et precibus seruorum adductus ad aequor
Aufugit, et nauim Cicero propellit in vndas.

Vix Venus e caelo Ciceronem linquere terram,
Velaque prospexit ventos implere secundos,
Supplice confessim Neptunum voce precatur:
Tune meos igitur sic hostes ire per altum
Permittis? nec eos crudelibus obruis vndis?
Illa vehit nauis Ciceronem. Salua per vndas
Ibit? et incolumis tellurem et littora tanget?
Supplicium fugit hic, vindictam, numina nostra,

Quae-



Quærerit et externo sceleratus in orbe salutem.

Quin, Neptune, iube, validos confurgere ventos,

Commotumque, iube, ventis confurgere pontum,

Ne coepitos nauis cursus absoluere possit.

Vix haec ediderat, tumidis mare fluctibus
albet,

Surgit, et in toto tempestas aequore saeuit,

Tunc iterum taeder vitalem carpere lucem,

Mortem orat, vos, o nostri, miserefcite venti,

Ferte ratem venti, et duris affigite faxis,

Aut me praecipitem vasto submergeite ponto.

Felix morte tua, frater! tu morte dolores

Finisti, casusque graues, fruerisque quiete.

Nos grauiora manent, nobis maris aequor aran-
dum,

Nos alia ex aliis asperrima fata fatigant.

Sic memorans Cicero vento iactatur et vndis.

Interea nauis terrae iactatur ad oras.

Vix Cicero egreditur naui, vix littora linquit,

Pulueream nubem et rutilantia prospicit arma.

Quis



Quis tibi tunc Cicero sensus procul arma videnti,
Quaeque animum curae, quae spes, timor atque vo-
luntas,

Cum magis atque magis properaret saeva caterua,
Versabant Cicero? Ceu, si de montibus altis,
Aut, cui fugentes catulos rapuere coloni,
Imperuosus aper ruit, aut furiosus amore
Per valles sylvasque vagans perque ardua cervus
Obuius agricolae se se obtulit, ille propinqui
Sene specus tenebris abscondat, an ardua fagi
Ascensu supereret celsaque cacumina pini,
Haeret, et incertus quo sit sibi nescit eundum:
Sic Cicero, repetatne ratem flodusque marinos,
Ambigit, an turbae venienti se offerat. Omnis
Spes abiit, vitam Ciceronis fata reposcunt.
Tum Musae abiiciunt fragrantia ferta capillis,
Et late lucos lacrumosis questibus implent.
Deliciae nostrae rapientur, nostraque cura,
Noster amor vitam sub acerbo vulnere mittet!
O fugite! haud oculis tantum perferre dolorem
Possumus, haud vita Ciceronem cernere casum.
Iamque propinquabat festinis passibus agmen:

Ponite



Ponite leelicam, Cicero imperterritus inquit,
 In patria moriar. Furit, aestuat, intonat ore
 Popilius: nostrasne manus te euadere, clamans,
 Sperasti? Facundus vbi nunc Tullius? illa
 Nunc vbi vis animi tibi? vbi ventosaque lingua?
 Nunc morere, hocce tuo cineres satiabo cruore
 Caesaris, hoc gladio Caesar tua pectora Caesar
 Perforat, et meritas poenas cum sanguine sumit.
 At minime Cicero minitantem expalluit ensim,
 Sed placide: frustra gladio me, pessime, terres,
 Hanc vitam patriae deuoui, spiritus ille
 Debetur patriae. Quid libertate sepulta
 Commorer? ecce tibi ceruicem! hanc amputet ensis!
 Liber ego morior ciuis patriaeque fidelis.
 Haec dicens iugulo non inficius accipit ensim
 Popilii, et vitam multo cum sanguine fundit.





IV.

A D

VIRVM MAGNIFLCVM
 DANIEL RIECHIVM,
 DYNASTAM LEPVOLTISHAINENSEM
 I. V. D. ET REIPVBLICAE GORLICENSIS
 CONSULEM.

Mitte Tu tristes super vrbe, RIECHI,
 Paullulum curas animo, meumque,
 Si Tua quidquam loquar aure dignum,
 Accipe cantum.

Tu colunt ciues, et amant paternam
 In Tuos mentem, studium fidemque
 Nouit AVGVSTVS, memorique dignum
 Censet amore.

Adde



Adde quod musae sua dona laeto
 Deferunt vultu *Tibi*, peccus adde
 Artibus cultum variis, et aptum
 Rebus agendis.

Hac via caelum petimus, fauorem
 Hac via humani generis meremur,
 Nec per aeternum metuet peire
 Gloria tempus.

Infimum produnt animum, corona
 Ambiat quamvis caput, innocentia
 Caede qui dextras hominumque terram
 Sanguine tingant;

Matris ut fletu resono et cruore,
 Caede, funesto cinere, ossibusque
 Sordido in paucos potiantur annos
 Cespite paruo.

Maxi-



Maximam mundi glaciata partem
Aequora, inculti niueique campi
Occupant, rupes, steriles arenae,
Antraque vasta.

Nostra, si mundi fabricam intuemur,
Terra, quid tandem nisi parua gleba,
Hanc tamen reges emitis, nefas heu!
Sanguine glebam.

Non eum, RIECHI, facit HUNC DIEM qui
PERDIDI dixit thronus, hand corona,
Haud opes, sceptrum, nec ebur, nec ardens
Purpura regem.

Saepius sceptro folioque dignus
Qui suos tauros iuga dura ferre
Cogit, et curuo subigit paterna
Vomere rura.





V.

A D E V R O P A M.



Quando, nefandis squallida caedibus

Quando calentes tu gladios teges,

Europa , natorum cruore?

Quando tuos viridante crines

Lauro implicabis? fat tonuit graue

Bellum per orbem , flendaque matribus

Sat arma sat Martis furentis

Sat rubuere manus cruore.

Quot lucuosus, proh pudor! oppida

Delenit ignis! quem fluum tuae

Non decolorauere caedes!

Quis iuuenumque senumque campus

Non



Non mista vident funera! et ossibus
Quae rura non albent! noua proelia
Cur clangor accedit tubarum?
Cur noua bella mouent cohortes?

Luget venustae potor adhuc Tagi
Vrbis ruinam, luget adhuc patrem
Natus peremptum, flet maritum
Foemina, flet iuuenisque sponsam.

Quot fulmina atris nubibus emicant
Terrentque mundum! quam reboant poli,
Quam feruet aequor! quam tumescit
Diluuiemque Tagus minatur!

Tellus tremiscit, summaque montium
Nutant, et imis faxa frementia
Nutant cauernis, vrbs vacillat
Cum sonituque trahit ruinam.





Qui mane surgens ampla palatia,
Turres, et vrbis viderat arduas,
Ah! dirutos muros et aedes
Sol stupet occiduus reuulsas.

Nostris qnid armis, quid gladiis opus?
Nostrum quid ipsi proterimus genus?

Quid caedibus caedes, quid auges
Funera funeribus? crux

Si peccus vrget tanta sitis tuum,
Europa, concors o utinam feros
In barbaros nostris retusos
Vulneribus gladios refingas.





VI.

D E B E L L O,



Cur non per agros somnifero fluunt

Riuſ ſufurro? cur citharae tacet

Cantus reducta in valle? nulla

Cur ſterilis rosa pingit arua?

Eheu! cruenta caede rubens dolet

Tellus, et vndae ſanguineas agunt

Spumas in aequor. Bella totum,

Horrida bella, fremunt per orbem.

Iam tertium noſtræ inficiunt manus

Annum immerenti ſanguine, ter famem

Sol vidit, ignem, pauperumque

Quemque diem lacrumis madentem.



Quantum obstupescet, cum gladios situ
 Nigros, et altos eruet ossium
 Rastris aceruos, siue vitem
 Montibus in patulis colonus

Ponens et vlmum, seu morientibus
 Riuos sequentes et fluuium satis
 Sollerter inducens! Trementi
 Ore color manibusque dura

Rastra excident. Heu! ferrea quam fuit
 Aetas auorum! (filiolis suis
 Vernisque dicit conuocatis,)
 Pectora quam furiosa patrum!

Credetis? eheu! credite, credite,
 Tum saeva caelum fulmina, tum sua
 Mors tela, tum plenam timendis
 Mors posuit pharetram sagittis.


Ipsū



Ipsi admouebant aedibus impios
Ignes, et ipsi sanguinea manu
Se proterebant, Matri^s, eheu!
Tum lacrumae gemitusque sponsae.

Lauro tegebant tempora principum,
Clarumque nomen funeribus sibi
Reges parabant. Haec locutus
Ossa teget tumulo, sed arma


Tergo auferet secum, et trepida manu
Fuliginosis partibus aedium
Affiget, horrorem in nepotum
Opprobriumque patrum perenne.





VII.

AD SODALES.


Euo! flore comas cingite cingite,
 O dulces socii, purpureis rosis
 Et lauro viridi, vos hyacinthinis
 Sertis cingite tempora.

Ut mens incaluit! peccus ut aestuat
 Nostrum! quis Deus o! quis Deus excitat
 Mentem? quisue calor, me quis in aera
 Aufert attonitum vigor?

Altos per scopulos erro, per inuias
 Rupes et gelidam per nemorum vagor
 Vmbram, perque specus, audio garrulam
 Vndam et murmura fontium.


Nun-



41

Nunquid conspicitis? conspicio leues
Nympharum chores, quis niueo ignis in
Vultu purpureus! quis rutilantibus
Risus ex oculis micat!

Praecingunt variis en! Satyri mero
Spumantes calices floribus, ebrius
Quam Bacchus titubat! quamque oculi natant,
Procumbitque humeris caput!



C 5

VIII



VIII.

AD

SAMVEL. GOTFR. GEYSERVUM,

SS. THEOL. CVLT.



Tempora iam properant, mi GEYSERE, ultima
vitae,

Et positas metas me tetigisse monent.

Eheu! mortiferis cruciatibus osla laborant,

Membra grauis languor, pallor et ora tenet.

Arida iam rabidus praecordia corripit aeflus,

Oraque feruenti torret anhela siti.

Iam grauiusque malum marcentes atterit artus

Frigus et infandum pallida membra quatit.

Nec reprimit mollis praesentia frigora lectus,

Nec gelida ingentem mitigat vnda sitim.

Vt teneros flores durum succindit aratum

Vt nimiae extinguunt molle papauer aquae:

Aeui sic viridem florem, sic gaudia nostra

Heu! scindit nimium mortis auara manus.

Et



Et scindat. quidnī patiar? mors corporis huius
Ius habet, hunc animum non ingulare potest.
Non in perpetuum claudentur lumina somnum,
Nostra nec in ventos vita recedet iners.
Hic animus vacuum se tollet in aera magno
Remigio alarum, splendidaque astra petet.
Astra petet, celeri caelo minitantia faxa
Cursu transiliens regna beata petet.
Sub pedibus nubes tempestatesque sonoras
Cernet et in rutilo lumina fixa polo.
Audiet irati metuenda tonitrua caeli,
Adspicietque graui fulmina missa sono.
En! vbi in aeternum florescens tempora laurus,
Magnaque pictorum gloria, palma tegit;
En! vbi mellifluos concentus omnia reddunt,
Et dulces numeros aurea plectra sonant;
Ingenium nostrum meliori ardore calescat,
Maior et intrabit pectora nostra deus.
Nunc ades, exuuias rape mors praedaque superbi,
Nunc tumulus cinerem condat et ossa mea.
Ille dies veniet, quo sordida claustra sepulchri
Rumpet, et ex coeco puluere surget homo.

At




At *Tu defuncti bustum, GEYSERE, sodalis,*

Ornabis lauro purpureisque rosis.

Credo, Tuis oculis, dum debita munera solues,

Excidet in cineres plurima gutta meos.



VIII.

A D

IOH. GOTFR. ROTHIVM,

SS. THEOL. CVLT.

 *D*escendit, viridi veste superbiens
Et cinctum variis tempora floribus,
Ver coelo, vt fugiunt nubila! quam polinc
Ridet lumine candido!

Praecedunt Zephyri blandisono deam

Flatu, quam charites, quam sequitur iocus,

Per dulces humeros collaque lactea

Ludunt ambrosiae comae.

Nunc



Nunc *Tu* purpureis picta coloribus
Mecum rura petas, nunc ad aquae caput
Mecum inter falices stratus amabiles
Concentus avium audias.

O quem per scopulos, per gelidum nemus
Muscososque specus, saxa per inuia,
Mecum in nobilium culmina montium
Dulcis diripuit furor,

Nascenti citharam musa *Tibi* dedit,
Et molles numeros, addidit, O ROTHI,
Tum natura probum tum bene mutuis
Aptum peccus amoribus.

Nil fido melius pectore amantium,
Sinceris animis nil pretiosius,
Hi soli, vt macias turpiter, vnguibus
Foedas dilanies genas,

Spumo-



Spumosisque fremas dentibus, inuide,
Digni. Diuitiis affluat omnibus
Rex, corradat opes, orbis et ultimas
Oras imperio regat:

Dulcis si socii desit amor, potens
Rex mendicus erit. Sobria ciuium
Quot sceptris quatunt atria, quot stipem
Auratis manibus petunt!

Frustra, nescit amor candidus aureis
Cogi compedibus, mutuus at fauor,
Et virtutis amor solus, aheneo
Iungit pectora vinculo.





X.

A D

IOH. GEORG. NEVMANNVM,

L L. A A. C.




T per inaccessas rupes praeruptaque faxa,
 Te facili duxit musa benigna manu.
 Teque eadem docuit, qua diuus Pindarus olim
 Ibat, qua Flaccus Virgiliusque, viam.
 Quam lubet has tecum rupes ascendere, laeta
 Quam lubet inde meis carpere ferta comis!
 O si quis nemorum dulci me sistat in umbra,
 O ubi per valles garrula currit aqua!
 Tu, NEVMANNE, viam nosti, Tu porridge dextram,
 Saxosumque doce me superare iugum.
 Duc, age, duc ubi me Venusinus dulcia vates
 Auratae doceat tangere fila lyrae.
 O quoties, et quae nobis in gramine molli
 Prostratis noster dixit, Amice, comes.

Vidi.



Vidimus et Satyros, et Bacchum in rupibus altis,
 Nos flauam Pyrrham vidimus atque Chloen.
 Fontem Bandusiae vitreum gratosque fusurros
 Vidimus, et rutilo pocula plena mero.
 Forti per medias acies, per tela, per ignem,
 Pectore Romani fulgida in arma ruunt.
 Subiicit Augustus Parthorum colla catenis,
 Romanisque refert otia laeta suis.
 Saeuit amor caedis, surgunt ciuilia bella,
 Inficit et fratrum sanguine Roma manus.
 O quories ambo nos delectauimus illis
 Carminibus, longos condidimusque dies!
 O quibus in primo fruimur iam flore iuuentae
 Ne desint nobis gaudia blanda viris.
 Ne careat cantu vitae pars vlla lyraque,
 Nec nos despiciat musa latina fenes!





XI.

TONITR V.

Quam metuenda sonant, totumque tonitrua
caelum,
Piniferos montes, resonantia littora longe,
Immensas sylvas, scopulos, vallesque reductas,
Ingentesque specus, horrendo murmure complent!
Vndique scinduntur nubes, subita vndique flamma
Decidit in terras. En! noctem fulmina vincunt
En! vincunt tenebras, en! longe terra relucet.

Iam turpem informi prodens pallore timorem
In coecas latebras descendit et antra tyrannus,
Qui prius audaci diuinum fronte negabat
Numen, et insano coelestem accenderat iram
Risu, iam trepidat, numenque tremore fatetur.
Sponsa gemit iuuenem, quem trans mare detinet atra

D

Tem-



Tempestas, ah ne soluisses littore nauim!
Ah ne iacteris spumantibus aequoris vndis!
Vagit, materno dat collo mollia circum
Brachiola, exhorret flamas, oculosque retorquet,
Vagituque caput mammis infantulus abdit.


Extremumue diem mundo venisse scelesto
Dicam? descendisne Deus? descendis vt orbem
Tristibus vt pelagum inuoluas caelumque ruinis?
Anne tuas vires, maiestatemque tremendam
Ostendis? somnum vt pellas securaque corda
Commoneas hominum? tibi paret laetaque iusla
Exequitur natura. quid aurea sidera coeli,
Quid? nisi quem spargunt tua cuiuis lumina, splen-
dor?

Lumina, quae caelum, quae terram, quae simul vno
Omnia conspicunt obtutu. Irasceris, atrae
Ecce! tegunt nubes caelum solemque tenebris.
Consurgunt rabidi venti, consurgit et Eurus,
Surgit, et horrisonos fluens ad sidera tollit.
Iram deponis, subsidunt aequoris vndae,
Diffugiunt nubes, quam puro lumine caelum

Ridet



Ridet, et eiectis quam rident littora conchis!
Quis variis vestit redolentes floribus hortos?
Quis segetes aut rore fouet, pluiaque benigna
Irrigat, aut grauidis culmos incuruat aristis?
Quis blando docuit riuos errare susurro?
Quis rubeoque vuas in aprico monte colore
Pingit? vbi ipueniam Deum? vbi? stellantis Olympi
Templa petam? ferar in tenebras nigrosque re-
cessus?
An radios solis, fulmen tonitruque rogabo?
O vtinam, o liceat mihi sic decedere vita,
Exhalare animum vt possim sub laude Iehouae!





XII.

IUDICIVM M V N D I.



Quis nouus in vacutum me sustulit aera, nubes
 Quis furor in liquidas? iam flammea sidera
 circum
 Iamque extra solis lunaeque vias vagor audax.
 Hem! quae conspicio! noua, splendida, plena stuporis,
 Quo se cumque oculi voluunt, apparet imago.

Tu, quae Iessiadae quondam pia corda mouebas,
 O quam te memorem? tibi mens diuinior, atque os
 Nil mortale sonat, nil paruum, tu dea certe,
 Seu gelidi mäuis Boreae resonantibus alis,
 Seu placida Zephyri penna descendere caelo,
 Tu dulces numeros, tu verba canora docebis,
 Ut, quae conspiciam, facundo carmine narrem.

En! media immensis operit terramque polumque
 Nox tenebris. Rugis, pallore et vertice cano
 Deformis vigilat, defossoque incubat auro.

Iam



Iam malefida cohors fraudes in pectore versat,
Iam vendunt patriam, miscent periuria, mundo
Excutiunt pacem, meditantur et horrida bella.
Sanguine caesorum sanieque madentia linquens
Antra, fero cinctus gladio, per templa domosque
Perque vias passim audaci pede latro vagatur.
Inuadit thalamos, irridet numina caeli,
Sancta que iura fori violat lasciuus adulter.
Iamque pii vates aut dulcia vina coronant
Cantantes, grauidis qui colles vestiit vuas,
Aut lauro socii decorant fertisque sepulchrum.

At subito totus tremulis micat ignibus aether,
Horrendoque cadunt cum murmure fulmina caelo.
Vndique iam medias video discindere nubes
Coelestes acies, ciues felicis Olympi,
Teque triumphali pompa descendere, Christe.
Qualis descendis! quantum mutatus ab illo
Christo! cui querulo duroque in cespite strato
Sanguineus toto dimanat corpore sudor,
Vel cui ferali suffixum stipite corpus,
Confossum latus, et concreti sanguine crines.
Quis strepitus circa comitum! qua luce coruscat



Omne! nouum vt terrae credas lucescere solem,
 Vtque nouas stellas caelo lucescere credas.
 Iudicis aduentu perterrita luna rubescit,
 Pallescensque iterum sensim sua lumina perdit.
 Sanguineo extremum rutilantes igne cometae
 Triste micant, sensim pereunt, et sidera caelo
 Praecipitant, nutant axes magnoque fragore
 Sol ruit, ingentes per sylvas, aequora, montes,
 Explicat inque omnes oras incendia voluit.
 Flumina siccantur, tellus ardore dehiscit,
 Feruet et immensis spumis exuberat aequor.
 Ecce! secat iuuenis rutilantibus aera pennis,
 Terribilique tuba trepidantem personat orbem,
 Personat horrendas umbras et pallida regna.
 Hoc sonitu cineres animantur et ossa, sepultos
 Reddit humus, reddunt fluuii sub luminis auras,
 En! reddit pelagus quos faeuis obruit vndis.
 Hoc sonitu omnis, adhuc qui vita et luce fruatur,
 Cogitur in planum, latum, sine limite campum.
 Sed mihi quis strepitus, quis clamor verberat aures?
 Audio ferrato stridentes cardine portas,
 Horrendos gemitus, fletum, tractasque catenas.

Hinc,



Hinc, vbi commisus flammis ascendit in auras
Fumus, en! infelix magno clamore caterua
Egreditur, pallentque genae, gressusque tremiscunt,
Nudaque mirantes ad cælum brachia tollunt
Quis procul ille autem, qui nodis vincitus ahenis,
Horrendumque fremens multis cum millibus antro
Exit, et ardentes oculos per singula versans
Terribili vultu comites supereminet omnes?

Ponitur in medio campi regale tribunal
Sanctum, aeternum, ingens, auro gemmisque decorum,
Auro ponuntur constructa sedilia centum.
Illo diuina rex maiestate tremendus
Considet, his ferrum pro Christo et vulnera passi,
His comites Christi resident, totumque per orbem
Qui coecos populos docuerunt iussa magistri.
Dextra tenet palmas, et ad imos defluit album
Velamen talos. Dextra laeuaque frequentes
Circumstant animae, et cupiunt sua discere fata.
Fertur inauratum Mosi spissumque volumen.
Ille gerens canis albentia tempora tollit
Se folio, reprimit vultu dextraque tumultum,

Virtu-



Virtutesque hominum pia facta recenset, et atris
Scripta notis recitat sceleratae crimina vitae.

At Christus, prece quem frustra lacrumisque mouere
Contendunt miseri, folio ius dicit ab alto.
Nec mora, nec requies, rutilantia fulmina Christus
Iactat, et aeternas miseros detrudit ad umbras.
Dentibus infrending, iusto conuicia caelo
Atque Deo faciunt, ardescunt corda furore,
Spumaque terribiles obducit plurima risus.
Quot reges hominum conspersi sanguine, et armis
Illicitis cincti heroes, cum iudice iniquo,
Quotque sacerdotes adiguntur ad horrida regna!

Interea caeli panduntur moenia, gemmis
Panduntur portae radiantes, quantus amoena
Atria percurrit splendor longeque refulget!
O quam dulcisonis resonat concentibus aether!
Sed vix felices animae, vix Christus Olympum
Intrauere, tonat subito caelum omne fragore.
Totus concutitur mundus, mundique columnae
Nutant, en! media natura in morte tenetur,
Audio iam gemitus, singultus audio, nutant
Omnia, iamque cadit, iam totus corruit orbis.



AB 125 832

X2369387

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



CHRISTIANI ADOLPHI

KLOTZII

C A R M I N V M

L I B E R V N V S.



L I P S I A E,

APVD IOAN. CHRIST. LANGENHEMIVM,
cI9 CCLVIII.